








JOHANNES RICHARDI IV GILR  
A. M.  
DEI  
LITTERIS  
CREDENTIALLYBUS  
LEGATORVM

DISSENTIO PER SCHWABIA  
DISSERTATIO HISTORICA



MAGNIFICO  
AMPLISSIMOQUE VIRO,  
DOMINO  
CLEMENTI SAMVELI  
LIPSTORP,

ICTO,  
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS SYNDICO, ETC.

ET  
VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,  
DOMINO  
CONRADO WIDOW,  
EIVSDEM REIPUBLICAE SENATORI,

VIRIS  
DE PATRIA IAM PRIDEM OPTIME  
MERITIS,

PATRONIS SVIS  
DEMISSE VENERANDIS,  
HOC  
ADDICTI ILLIS ANIMI MONUMENTVM  
PONIT,

SEQVE  
EO, QVO DECET, OBSEQUIO, COMMENDAT

DISSERTATIONIS AVCTOR.

MAGNIFICO  
AMPLISSIMOQUE VIRO  
DOMINO  
CLEMENTI SAMVELLI  
LIPSTORP,

REIPUBLICAE HAMBURGENSIS SYNDICO, etc.  
VRO-AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

DOMINO  
CONRADO WIDOW,  
EIVSDEM REIPUBLICAE SENATORI,

VIRI  
DE PATRIA IAM PRIDEM OPTIME  
MERITI  
PATRONI SVI  
DEMISSE VERENDI

HOC  
ADDICIT HILIS ANIMI MONUMENTVM  
FONIT  
SROVR

BO. QVO DECRET. QVODQ. COMMENDAT

DISSELTATIONIS AVCTOR





## I N D E X A R G V M E N T O R V M.

- §. I. *Occasio huius dissertationis.*  
§. II. *Instituti ratio, ac definitio.*  
§. III. *Antiquitas litterarum credentialium.*  
§. IV. *Usus et necessitas earundem.*  
§. V. *An Legatus sine his unquam admittatur?*  
§. VI. *Nonnunquam credentiales litterae plures dantur.*  
§. VII. *Requista, et stilus varians, earum.*  
§. VIII. *An Plenipotentiarum etiam, Agentes, et Consules, credentiales litteras accipiant?*  
§. IX. *An eas ipsi exhibere Legati debeant, cui, et quando?*  
§. X. *Quanam debeant lingua conscribi? controuersiae in Imperio tempore Pacis Rastadiensis.*  
§. XI. *An Legati hostium sine liberi aditus tabulis, vulgo Passéport, solis credentialibus litteris tui sint?*  
§. XII. *De litteris Legati reuocationis, et recredentialibus.*



§. I.  
Mittuntur, hac memorabili rerum facie, frequentius longe, quam alias fieri nouimus, a plurimis Regibus, Principibusque in alias Europae aulas Legati, instructi litteris, quae credentialium nomine vulgo insigniri solent. Quod ipsum quum nuper in mentem mihi veniret, et quendam ego de litteris istis, quae scitu sunt necessaria, explicantem requirerem, con-



fulendi erant publici iuris, quod vniuersale dicunt, Doctores, et, qui arcta his propinquitate iuncti sunt, scriptores historiarum. Adii proinde complures, eosque, si quid recti intelligo, haud imi subfelli, nec tantum indices inspexi diligenter, sed etiam, ne huius argumenti quaedam oculis effugerent meis, ipsos saepe libros peruolutaui. At quot perdiidi bonas horas! quam valde spes decepit agricolam! Plerique vix credentia-  
 lium litterarum mentionem iniiciunt: aliqui differunt de illis, pauciora tamen, quam rei exigere dignitas videbatur: nullum inueni, qui illustre argumentum data sibi opera pertractandum ornandumque sumserit. Quod perspiciens ego, colligere, quae hinc inde notaueram, paullo studiosius coepi, eo quidem animo, vt dissertationis habitu aliquando proferrem in lucem. Iamque opinione mea citius exsequor susce-  
 prum nouissime consilium, a quo non reuocauit me ac deduxit schedium iucundum lectu, *de iure poscendi litteras, quas credentiales vulgo vocant, a Legatis*, quo, praeterlapso anno, consulere harum rerum cupidus studuit IO. GEO. ESTOR, celeberrimus in Academia Salana Ictus. Ad ius enim poscendi haec litteras quum respexerit potissimum, et propterea singulare incluti sui Ordinis Responsum adiecerit, facile patet, Virum, mei amantissimum, haud plane nullum mihi spicilegium reliquisse, idque luculentius constabit inter eos, qui laudatum eius scriptum cum hac conferre voluerint exerci-  
 tatione.

## §. II.

Noli tamen abs me exspectare, Lector, exquisita omnia, et ante vix dicta. Ipsa res, sterilis non nihil, Tuam forte mihi veniam parabit, maxime si memineras, quod bene iam obseruauit IO. GEORG. KVLPIVS, <sup>1)</sup> aularum cerimonias varias esse, nec perpetuae vbiuis vnicaeque normae adstrictas. Huic addo, meas iam non permississe rationes, vt  
 tandiu



tamdium partum hunc inclusum tenerem, donec aduenter Lucina, et propitio vultu opem ferat. Superfedere interim poteris tot euoluendi scriptores labore, fatis plerumque molesto, nec vnus sibi horae spatium vindicante. Sed quid multis opus verborum ambagibus? Si vel Tibi paullulum conatus placet, faue: sin displicet profus, et *οὐκ ἀντὶ τῆ σάματος* videtur Tibi delineata, mone, totumque ego opusculum

*Tradam proteruis in mare Creticum  
Portare ventis.*

Et id quidem ea conditione maneat. Progrediamur nunc ad agellum nostrum, et in hunc nos immittamus, visuri, quid humeri valeant. Quod antequam fiat, explicandae sunt litterae credentiales. Et dico has Codicillos, seu litteras publicas, a Principe quodam, qui ius adlegandi habet, ad alius rei publicae Principem, vel magistratum, exaratas, quibus indicatur, mitti iam Legatum ad haec, vel illa, negotia expedienda, addito eiusdem caractere, et formula solemni, vt cognoscatur talis, eique in omnibus fides habeatur. <sup>2)</sup> Ipsa vox *credentialis* barbara est, inque nullo probatae Latinitatis auctore inuenietur. Mauult itaque GER. IO. VOSSIVS <sup>3)</sup> litteras has adpellare *assertorias*, quum CICERO pro credentia vocem *assertio* adhibuerit. Quam eruditi viri sententiam licet ego haud contemnendam reiiciendamque existimem, imo et alias, quae rem fatis pure significant, superesse formulas sciam; rectius tamen, ni fallor penitus, ille agit, qui, ne quid inde obscuri se exferat, vulgari, et quasi ciuitate donato, vocabulo vtitur. Neque conuenit, in rebus quibuscunque PETRVM imitari BEMBVM, qui religioni sibi duxit, vllam vsurpare vocem, quam TVLLIVS non vsurpauerat ante, non immemero proinde a IYSTO LIPSIO <sup>4)</sup> notatus.

1) De iure legation. c. XV. §. I.

2) CAROL. PASCHALIVS in Legato, c. XVII. p. 118. ita definit credentiales litteras, esse tales scilicet, quibus asseritur fides et auctoritas dictorum



- dictorum factorumque Legati. Sed non confundi hae litterae debent mandato Legati, quod a multis non observatum deprehendo. Longe alia natura mandati est, ut probe viderunt inter alios P E T R. M Ü L L E R V S diss. de Legat. primi ordin. sect. IV. §. 2. de C A T. L I E R E S de la maniere de negot. avec les souver. c. XI. p. 159. edit. Germ. et Magnificus Vir, A V G. F R I D. M Ü L L E R, in Iure Nat. et Gent. c. XXIII. §. 4. not. I. p. m. 901.
- 3) De vitulis fermi lib. III. c. 7. p. 134. Tom. III. opp.
- 4) Epistol. miscell. cent. II. epist. 57.

## §. III.

Non heri autem, vel nudius tertius, credentiales litterae conscribi coeperunt. Antiquus est earum usus, ipsa licet appellatio aetatis sit longe recentioris. Quas enim nos litteras credentiales vocamus, eas publicum veteres testimonium dixerunt. Ita sane T V L L I V S <sup>1)</sup> intelligendus mihi videtur esse, dum *adsunt*, inquit, *Heracienses Legati, nobilissimi homines: huius iudicii causa cum mandatis, et cum publico testimonio, venerunt.* At quoniam primum tempore credentium nomen inualuerit, vellem, ut posset definiri. Altum ubique, quantum ego quidem sciam, hac de re silentium. Solus M A T T H A E V S P A R I S I E N S I S <sup>2)</sup> sincerus ille Monachus, nec indignus fide, me docuit, saeculo iam XIII. credentiae vocem de litteris hisce, Legato datis, fuisse adhibitam. En! haec ipsa eius sunt verba: *litteras, quas nobiscum, atulimus de credentia, ex omnibus nobilibus Gasconiae Regis fidelibus etc. Et alibi ostendens, inquit, litteras credentiae et fauoris.* <sup>3)</sup>

1) Vid. orat. pro Archia, c. IV. Quam bene C I C E R O etiam discrimen inter credentiales litteras, et inter mandatum, perspexerit, locus hic ostendit satis luculenter.

2) In Hist. rer. Anglic. ad ann. 1252. p. 723. edit. Londin. d. a. 1686.

3) L. c. ad ann. 1259. p. 844. conf. C A R. du F R E S N E in Glossar. med. et inf. Latinit. T. I. p. 1256. Exemplum credentium litterarum d. a. 1311. Illustris profert Fridericianae Cancellarius, Dn. a L Y D E W I G, in reliquiis MStor. Diplomat. T. X. p. 518. et aliud T. VI.



T. VI. p. 110. vbi Philippus Archi-Palatinus ad Carolum VIII. Galliae Regem d. a. 1497. sic scribit: - - *dignetur cum benigne audire, et in referendis, tanquam nobis, ipsi credulam adhibere fidem.* Conf. Ampliff. TREVER diff. de iure Stat. Imp. circa Legat. exter. in Comit. C. II. §. 5. p. 31.

## §. IV.

Vidimus, antiquas, et multarum velut imaginum, esse litteras credentiales. Nec sibi persuadeat quispiam, solius cerimoniae causa dari easdem Legatis. Vtilissimae potius sunt, et apud quascunque gentes, in rebus feriis atque publicis <sup>1)</sup> cum primis necessariae. Quodsi enim spectaueris Legatum, illis rite, et ex aulae consuetudine, exhibitis, statim elucet, quemnam Legato Characterem dominus eius tribuerit, <sup>2)</sup> quibus adeo solemnibus salutandus ille sit ac recipiendus, quantumque eidem in demandatis negotiis fidei habendum. <sup>3)</sup> Ad rem autem publicam, cum qua Legato res est, quod attinet, illa per credentiales litteras secunda redditur, nec metuere dolum debet ab improbis, astutisque hominibus, qui falso profiteri se possent Legatos. Legi hac de re exemplum, quod superioris saeculi annales suppeditant. Notatu illud dignum est, et narrabo propterea. Nobilis quidam Scotus, ex gente dominorum de Douglas, qui Henricum Gray nominare se consueverat, peruagatur hic et illic Germaniam, inque aula praecipue Colonienfi Iacobi I. Anglorum Regis, Legatum ementitur. Animaduertens autem, zonas se habere inanes, tantumque sibi splendoris haud fore, quantum amplissima Legati dignitas exposcit, callide lepideque viliores conditionem sub infortunii imagine obumbrat, et in itinere vi militari se spoliatum, comitibusque dissipatis, solum esse relictum, conqueritur. Fluunt omnia ad eius voluntatem. Excipitur honeste, et nemo est, qui vicem eius non doleret vehementer. Re tam feliciter succedente altiores gerit spiritus, crescit audacia, et vires acquirit.

quirit. Valere iubet aulam Coloniensem, et Heidelbergam commigrat, ibi quoque praeclarum sceleris specimen editurus. Sed audi, qui rei cursus, qui exitus fuerit. Coeco impetu in perniciem ruit.

*Quem dies vidit veniens superbum,*

*Hunc dies vidit fugiens iacentem. 4)*

Detracta scilicet larua in vincula conicitur, et, missus ad Principem suum, perduellium supplicio dissectatur in partes. 1) Ita legationem ad mortuos funestam fatis, tanta tamen nequitia dignissimam, obit impostor. Tollendae enim et extrahendae radicitus sunt omnes fraudes, omnes fallaciae.

1) Vid. BYNKERSHOEK, V. A. in quaest. iur. publ. lib. II. c. 7. p. 229.

2) IAC. BRUNNEMANN diss. de iure ceremon. circa Legat. §. VIII. p. 10. et AVG. FR. MULLERVS, Praeceptor venerandus, in I. N. et G. l. c. Conf. TREVER diss. cit. C. III. §. I. p. 41. Qui Character nisi significetur rei publicae, nec honor, quem eius meretur splendidissimum munus, exhibetur, nec iura et privilegia conceduntur Legato. Docet hoc, variisque ex historia exemplis illustrat ABRAH. WICQVEFORT, infelix ille Legatus, dans son Ambassadeur, lib. I. sect. 15. p. 170. edit. d. a. 1690. Conf. Celeb. ESTOR, de iure post. lit. cred. a Leg. p. 22. sequ.

3) WICQVEFORT l. c. p. 169. Conf. van BYNKERSH. p. 223.

4) SENECA in Thyeste, act. III. v. 611.

5) Vid. METERANVS in Hist. Belgica, ad ann. 1605. et GODOFR. STIEVII Europ. Hof-Ceremon. p. 237. edit. nou.

### §. V.

In rebus igitur alicuius momenti vix admittetur Legatus, quam illustris etiam sit, nisi susceptam legationem eiusmodi scripto publico docere possit et comprobare. 1) Quo quum anno 1637. destitutus esset Legatus Georgii Ragozy, Principis Transilvaniae, Sueci, apud quos commorari volebat, haud eum agnoscebant in tali dignitate. Ille nihil praetermittebat eorum, quae Ministros Regios in mitiorem flectere senten-

sententiam possent, et tandem ad summas quasi angustias redactus, schedulam meris repletam cistis monstrabat, hanc sibi litterarum credentialium loco datam esse a Principe suo, contendens. Sed ridicule, et frustra omnia: nec effecit illud, ut vororum Legatus compos fieret. <sup>2)</sup> Quid autem tunc obtinet, si Legatus exhibuerit credentiales, ab aula exterâ probatas, et paullo post Princeps eius rebus eripiatur humanis? Nouone legationis diplomate a successore opus habet? Ita profecto usus postulat. <sup>3)</sup> Et quis ignorat exemplum illud tempore Pacis Ryswicensis? Quum enim arbiter et conciliator, quem vulgo mediatores dicunt, Carolus XI. Sueciae Rex, communi militantium suffragio eligeretur, et mox fati concederet, Liber Baro a Lillienroth, qui Legati propter hoc negotium honore fulgebat, ante non poterat continuare coepta, quam nouas litteras credentiales a Carolo XII. accepisset. <sup>4)</sup> Idem est dicendum, si Legatus in solemnî auditorio iam valere aulam iusserit, et deinceps commorari adhuc in eadem, per aliquod tempus, mandato Principis sui debeat. Factum sic est haud ita pridem, ut memorarunt tabulae publicae, in aula Hannouerana, a Serenissimae Hungarorum Reginae Legato, Lib. Bar. a Iaxtheim, qui, dum reditum parat, nuntium accipit, ut diutius Legati obiret munus. Statim igitur alios fidei Codicillos offert Augustissimo Magnae Britanniae Regi. Et ex his, quae differuimus, facili potest negotio colligi, quam infirmo nitatur fundamento IOSEPHI MASCARDI <sup>5)</sup> sententia, qui litteris ambasiariae (ita enim credentiales vocat) opus esse negat, quando Legatus persona sit nobilissima, perexcellens, et nota Principi, ad quem mittitur. Eodem inclinât fere P E T R. M Ü L L E R V S, <sup>6)</sup> hæc litteras absolute necessarias non esse, credens, quamquam, quod addit, raro soleant omitti. Amplius progreditur MASCARDVS, <sup>7)</sup> et Legatum Pontificis



ficis de latere a regula generatim excipit, plenamque illi fidem attribuit sine legationis litteris, dummodo se adferat Legatum. Subiungit causam, quod non soleant Cardinales extra Curiam exire, sine tali facultate, vel dignitate. Hodie summus Pontifex plane non vtitur Cardinalibus Legatis, sed reuocat domum Apostolicos nuntios, quam primum hac eos dignitate ornauerit. <sup>8)</sup> Quid igitur examinare attinet illud MASCARDI?

- 1) Vid. HERM. CONRINGIUS in diff. de Legat. T. IV. opp. p. 1006. CASP. ZIEGLER in diff. de ratihabit. §. CXXXIII. p. 623. Discept. felectar. Amplissimus Vir, IO. LAUR. FLEISCHER. in Iure N. et G. p. 594. edit. sec. et FRANC. FR. ab ANDLERN in Corp. Constit. Imper. T. II. p. 793. Non deesse tamen exempla, quod sine his litteris fidem inuenerint Legati ex sola Principis exteri confidentia et humanitate, probat TREVERVS in felectis ad WICQVEFORT. obseruat. p. 110. Semestr. XII. Annal. Acad. Jul.
- 2) STIEV l. c. p. 821. Conf. ab ANDLERN, l. c.
- 3) Eadem est ratio, si Princeps, ad quem Legatus missus est, legatione nondum finita moriatur. Vid. P. MÜLLERVS de Leg. primi ord. sect. VI. §. 2. vbi memorat ex WICQVEFORTIO, quod Selim olim, Imperator Turcarum, recusauerit audire Maximil. II. Legatum post mortem Selimanni, patris, cui successerat, causam interserens, legationem non ad se, sed ad Imperatorem defunctum esse susceptam, et proinde litteras credentiales nouas exegit a Legato.
- 4) STIEV l. c. p. 237. Monet hic etiam Illustr. TREVERVS in dissert. de prudent. circa offic. pacificatoris inter gentes, C. II. §. 5. p. 61. quod generatim hoc casu non semper virgere soleant reliqui Legati, vt consiliatoris Minister litteras, fidei firmandae causa scriptas, producat, si de eius auctoritate satis persuasi sint, certique, nullam subesse imposturam; recte tamen addit, solum id esse officium humanitatis, nec vlllo propterea iure posse exigi. Ego non nisi rarissime sic fieri crediderim.
- 5) De probation. Vol. I. concl. 84. fol. m. 79. b.
- 6) In diff. cit. de Legat. pr. ord. sect. IV. §. 2.
- 7) L. c. concl. 269. fol. 169. vbi prouocat simul ad C. III. Dist. 97. sed qui hunc Iuris Canonici locum inspexerit, luculenter, opinor, cognoscer, eum ne verbo quidem Legati de latere iniicere mentionem. Consentit cum MASCARDO etiam BARBOSA in Collestan. ad Cod. Iustin. T. I. p. 123. edit. vlt. Tit. de mandatis Principum. Hanc vero doctrinam reiectam video ab HERM. CONRINGIO diff. cit. p. 990. et in fundam. fidei Pontif. concuss. axiom. XI.

8) Vide,

\*) Vide, qui et huius rei causam addit, laudatum TREVERVM in Annal. Acad. Iuliae, Sem. XII. p. 115.

§. VI.

Quodsi Princeps mittens difficultates nonnullas Legato suo adlatum iri suspicatur, duplices ei litteras credentiales suppeditare solet, alteras Legatum primi ordinis, alteras secundi, referentes. Et tunc facile sibi consulere Legatus potest, si forte res publica extera ei denegauerit accessum, ut Ministro, ipsam Principis personam sustinenti. \*) Praeter haec vero mos aularum exigit nonnunquam, ut plures dentur eiusmodi litterae. In Gallia duplices sunt usu receptae. Vnas obsignatas, (lettre de cachet) Secretarius Status, qui res exteras curat, subscribit, alteras ipsa Regis manus confirmat. Has plerumque in auditorio primo priuato, illas in publico profert Legatus. \*\*) Ita et Constantinopoli forte constitutum. Minimum id colligo ex iis, quae STIEVIVS \*\*\*) memorat, quod anno 1722. Residens Diui Caroli VI. et summo Sultani Purpurato, quem vulgari titulo magnum Vezirium nominant, fidei tesseras ab Augustissimo Imperatore, et Eugenio, Principe, perscriptas, et singulares deinceps huius argumenti litteras exhibuerit Sultano ipsi. Anno 1658. a Collegio Electorali Ratisbonensi missi sunt in aulam Varsauiensem Legati, qui credentiales litteras ad Poloniae Regem, ad Reginam, et ad regni Procere, secum tulerunt. Et Regi quidem Reginaeque inscriptas per Legationis Secretarium supremo aulae Camerario, eas vero, quae ad Procere pertinebant, Episcopo Cracouiensi obtulerunt. \*\*\*\*) Similem, de qua loquimur hoc §pho, consuetudinem in aula Imperiali esse introductam, fide GÖCKELII \*) tradit PETR. MVL-  
LERVS, \*\*) ab exteris scilicet, qui ad Imperium nostrum mittuntur, Legatis binas credentiales litteras, alteras aulae, alteras Cancellariae Moguntinae tradi. Hunc et seruant Hel-



ueti morem, <sup>1)</sup> Eorum enim Legati ab omnibus rei publicae Ordinibus, quos *Cantons* dicunt, generatim fidei litteras accipiunt, et tunc etiam a quolibet Ordine speciatim. <sup>7)</sup> Eademque ratione recipiunt tales litteras ab aliorum Principum Legatis. <sup>8)</sup>

1) Vid. Dom. a ROHR im Ceremoniel grosser Herren, p. 391. edit. nou.

2) De CALLIERES I. c. p. m. 158.

3) L. c. p. 325.

4) Vid. THEATR. EVROP. P. VIII. p. 656. Conf. Illustr. ESTOR de iure posc. cred. litt. a Leg. p. 47. vbi exempla plura congeffit.

5) De maiest. legat. iure, th. IV.

6) Diff. cit. sect. IV. §. 4.

7) ROHR I. c. p. 392.

8) ESTOR ibidem, p. 46.

#### §. VII.

Summa litterarum credentialium eo semper redit, vt fidem inueniat Legatus. Sunt tamen et alia, quae ex litteris istis abesse non debent. Opus enim est, vt complectantur titulum mittentis integrum, <sup>1)</sup> itemque Principis, vel rei publicae, ad quam ablegatur; nomen titulumque Ministri; eius Characterem, vt vocant vulgo, an scilicet Legatus sit primi, vel secundi ordinis; etc. causam, cur mittatur; et locum denique, quo se conferre debeat, quod tamen in pacis faciendae negotiis solummodo vsitatum. <sup>2)</sup> Legati autem quum differant inter se, et alter dignitate alterum ac splendore praecedat, stilius etiam credentialium litterarum varius est, et ita comparatus, vt facile inde, quam Legatus personam induere iussus sit, queat adparere. <sup>3)</sup> Quodsi enim sit ordinis primi, <sup>4)</sup> qui cum eminenti ac summo honore mittitur, et faciem veluti mittentis, auctoritatemque rei publicae secum adfert, quemadmodum CICERO <sup>5)</sup> de C. Popillio loquitur, scribi rogarique solet, vt excipiatur Legatus, quasi venerit Princeps ipse, et indicatur simul, datam eidem esse potestatem, vt iuribus illis atque praerogatiuis, quae competunt



petunt domino suo, in rebus quibuscunque vtratur. <sup>6)</sup> Huic aequiparatur Commissarius Imperatoris Principalis, ad Comitiam Ratisbonensia delegatus, <sup>7)</sup> qui semper esse Princeps Imperii debet, et talis etiam plerumque fuit. <sup>8)</sup> Si Legatus fuerit secundi ordinis, quem Gallice *Envoyé*, nostra lingua *Abgesandten* nominant, mutantur paullisper verba, et vt credatur illi in omnibus, quae referat, quasi dixerit Princeps mittens ipse, in litteris saltim exprimitur. <sup>9)</sup> Residentis litterae credentiales sic esse solent: vt illi plane fides habeatur in iis omnibus, quae nomine causaque Principis sui in posterum protulerit. <sup>10)</sup> Scriba quoque, seu Secretarius, legationis, qui non parum a Secretario Legati separatus est, quum persona publica sit, et ab ipso Principe legationi subiuncta, <sup>11)</sup> litteras accipit credentiales, <sup>12)</sup> earumque stilus talis saepissime: vt liber illi facilisque aditus ad Principis Ministros concedatur, nec fides tribuatur solum in rebus Principis sui nomine expositis, sed dignum quoque deinceps responsum edatur. <sup>13)</sup> Tandem et scripto apud Principes docere atque corroborare demandatas sibi partes debent, qui mittuntur ab Imperii ciuitatibus, et Deputatorum titulo notantur. Rogat in scripto illo Senatus, vt nihil Deputatis derogetur de fide, nec denegetur auditorium. <sup>14)</sup>

1) Si tamen Princeps titulum quandam adsciverit sibi, nondum in aula illa, vbi versatur Legatus, probatum, plane is, adhibito artificio, praetermittitur, ne reiciantur credentiales, quod hoc casu accidisse Legato cuidam anno 1714. ad Baranos misso, refert STEV. l. c. p. 241. Conf. TREVER. diff. de prud. circa offic. pacific. p. 72. Idem non recipiuntur tales, si quid forte in titulo Principis, ad quem ire Legatus iussus est, desideratur. Exemplum praebet Romani Pontificis Legatus a latere, cui Bulla plenipotentiae anno 1625. in aula Parisina eam ob causam, quasi non recte conscripta, reddita fuit. Vid. STEV. p. 224. Anno 1663. magnus Russorum Dux ad Belgas miserat Legatum, cuius litterae credentiales quum rei publicae ritulum non satis accurate complecterentur, haud quidem remiserunt, Ordines easdem Legato, communicarunt tamen cum eo titulum integrum, monentes amice, vt futuro tempore



tempore debiti illis honores haberentur. THEATR. EVROP.  
P. IX. p. 1025. Conf. Ampliff. ESTOR l. c. in f. p. 48.

- 2) STIEV. p. 236. sequ.
- 3) Recte id perspexit IO. NIC. HERTIVS in elem. prud. ciuil. p. 186. cuius sententiam probat ideo, et sequitur ESTOR, §. XIV. p. 12.
- 4) Talis et vocatur *Ambasciator*, voce in Chronicis medii aevi atque historicis frequentissima, et quoad originem Hispanica, vt PRESBEVTA existimat de iure legat. Statuum Imperii, §. XXXXII. Sed conf. TREVER in Annal. Acad. Iul. cit. l. p. 107. Gallice dicitur *Ambassadeur*, Germanice *Gesandter*. Voces illae *Gesandter* et *Abgesandter*, vt discrimen statim in oculos incurrat inter Legatum primi atque secundi ordinis, medio demum saeculo XVII. vsurpari coeperunt, memorante WICQUEFORT dans l' Histoire des Provinces Unies des Paisbas, T. I. p. 119.
- 5) In Orat. Philipp. VIII. c. 8.
- 6) Haec verba lingua Germanica ita se habent: *Eur. etc. wollen diesem unsern Ministre, gleich uns selbst, auf- und annehmen; wie wir ihm dann die Macht ertheilet, sich aller uns zustehenden Praerogatiuen und Gerechtigkeiten zu gebrauchen.* IO. CHR. LÜNIG in Theatr. Cerem. P. I. p. 374. Hoc tamen certum, Principem, si praesens esset ipse, longe maiori pompa exceptum iri. Refert saltem Legatus dominum suum certis in casibus. Idque conspicuum ex eo etiam est, quod absentium Legati Principibus, qui adsunt ipsi, nec multum inferiores sunt, cedere soleant. Vid. FÜRSTENERIVS, seu LEIBNITIVS, de iure supremat. C. VIII. et GABR. SCHWEDER. in introd. in ius publ. Parte specialii, sect. I. c. 10. §. II. p. m. 371.
- 7) Dignus Imperator Leopoldus quum anno 1669. Episcopum Eichstadiensem, et, quem ei Concommissarium adiunxerat, Consiliarium quandam Imperii aulicum, Ratisbonam ablegaret, litteras argumenti sequentis dedit iisdem ad splendidos Imperii Ordinum Legatos: — Gnädigst gefinnende, ihr wollet seine Andacht, als Unsern gevollmächtigten Kayserl. Principal-Representanten, und Unsern ihm zugeordneten Reichs-Hof-Rath N. N. als Vnsere zu diesem Reichs-Tag verordnete Kayserliche Commissarios erkennen, ehren und achten, denen selben in gegenwärtigen Reichs-Tags-Sachen, gleich Vns selbst, vollkommenen Glauben beymessen etc. Vid. TEVTSCHER REICHS-CANTZLEY P. II. p. 815. FABER l. c. T. I. p. 32. Conf. THEATR. EVROP. P. XIX. b. p. 105.
- 8) Vid. EVROP. HEROLD T. I. p. 811. edit. nou.
- 9) *Eur. etc. wollen ihme in allen, was er vorbringen wird, gleich Vns selbst, vöiligen Glauben beymessen.* LÜNIG l. c. p. 374. In litteris obseruantiae, quas Dignus Carolus VI. ad Pontificem Clementem XI. anno 1712. perscripsit, eiusmodi formula est: — de quibus omnibus quum dictus orator noster explicabit pluribus mentem nostram, reuerenter postulamus a Sanctitate

Sanctitate Vestra, ut plenam ipsi fidem adhibeat, simulque, uti confidimus, solitos benevolentiae fructus nobis impertiat. Vid. illustr. BYDERUS in libro sing. de legation. obedient. Romam missis, p. 65.

10) — als unsern Residenten dafür zu erkennen, und demselbigen vollkommenen Glauben zu geben, und all demjenigen, so er an Eur. etc. in unsern Nahmen, und von unsertwegen, vortragen soll. Vid. FABER Staats-Cantzley, P. XXXVI. p. 756. et LAMBERTY Memoir. pour servir à l' Histoire du Siecle XVIII. T. I. p. 497. Plura de Residentibus qui nosse cupit, ille legat dissertationem doctam PETRI MÜLLERI, quam anno 1690. in Acad. Salana publice defendit.

11) Vid. TREVER. diss. cit. de iure Stat. Imp. circa Leg. exter. c. III. §. 2. p. 42. vbi elegantem hanc in rem locum ex WICQVEFORTIO transcripsit.

12) Vid. STIEV. l. c. p. 341. et van BYNKERSHOEK de foro Legator. c. XIII. p. 367. in Tom. I. Opusc. quae edidit quondam FRANCO CAR. CONRADI, Acad. Iuliae non solum, sed elegantioris quoque Themidos, decus. Conf. Magnif. MÜLLER. in Iure N. et Gent. c. XXIII. §. 12. nota 2.

13) — Dasß Eur. etc. demselben einen freyen access bey Dero Ministris verstaten, auch was er Denenilben in unsern Nahmen vortragen wird, Glauben heymessen, und mit einer convenablen Antwort darauf versehen lassen wöllen. LVNIG. l. c. p. 374.

14) Dabimus, quae hic locum habet, partem aliquam eiusmodi litterarum, ab Imperii ciuitatibus ad Reuerendissimum Electorem Moguntinum conscriptarum, quum anno huius saeculi XI. de eligendo Imperatore conuenirent Principes Electores: — als werden Eur. Churfürst. Gnaden unerbänigst ersucher, denen hierzu Abgeordneten, bey Dero gezeichneten Anmeldung, nicht allein vollkommenen Glauben zu geben, sondern auch den gnädigsten access und audiens mildest wiederfahren zu lassen. Vid. FABER l. c. P. XVIII. p. 414.

§. VIII.

Horum omnium auctoritas litteris munitur credentialibus. Tales autem non accipiunt Plenipotentiarii, sine Charactere, quibus missis, Princeps significat modo, se concessisse illis facultatem, ut cum omnibus, cuiuscunque loci atque dignitatis sint, in rebus, Principi profuturis, libere agant, contrahant, pacificentur. 1) His Agentes, quod ad hanc rem pertinet, adiicimus, maiori olim dignitate conspicuos, quam hoc nostro, quo viuimus, saeculo. 2) Illos Principes



cipes rebus suis in aliqua vrbe curandis praeficiunt, et litteris instruunt saltim, quae commendatitiae dicuntur, <sup>3)</sup> maleque confundi videntur credentialibus a CASP. ZIEGLERO. <sup>4)</sup> Eodem habentur loco Consules in celebrioribus emporiis, non nisi propterea, vt Principem suum referant apud alium Principem, sed vt Principis sui ciues tueantur in iis, quae mercium nomine veniunt, et, si lites propter eas oriantur, suam de iure sententiam dicant. <sup>5)</sup>

1) Patet inde, dari tantum Plenipotentiaris litteras Mandati formam exhibentes. Germanicus stilus est hic: — Weil es die itzigen Zeiten, und der Sachen Umstände nicht wohl verstaten, denselben über eine jegliche Handlung mit besondern Creditiven, oder Vollmachten, zu verfahren; So haben wir, zu Verhütung aller daraus zu besorgenden Verzögerung, nöthig befunden, erwähnten N. N. zu unserm bevollmächtigten Ministre, mittelst dieses, zu verordnen, und ihm volle Macht und Gewalt zu ertheilen, mit allen und jeden, wes Standes und Würden die auch seyn mögen, in unserm Nahmen über alles zu handeln und zu schliessen, was zu unserm Dienst und Nutzen möchte gereichen können: und versprechen wir bey Königl. (Churfürstl. etc.) Worten, daß wir alles, was gemeldter N. N. solcher Gestalt handeln und schliessen wird, vor genehm achten, und zur gänzlichen Vollstreckung bringen lassen wollen. LÜNIG, in Theatro Cerem. P. I. p. 374.

2) Van BYNKERSH. de foro Legat. c. XIII. p. 364. Opusc. et Magnif. MÜLLERVS in Iure N. et G. c. XXIII. §. 4. p. m. 904. Hinc Agentes a multis ne quidem inter Ministros publicos numerari, obseruat IAC. BRUNNEMANN de iure cer. circa Leg. §. VIII. p. 11. Conf. RESOLDVS in Tract. de Legat. c. II. n. 6. sequi. vbi docet pluribus, in quo differant a Legatis Agentes.

3) STIEV. l. c. p. m. 339. WICQVEFORT dans l'Ambass. lib. I. sect. 5. in f.

4) In dissert. de rathabit. p. 625. Discept. selectar.

5) STIEV. ibidem, p. 336. van BYNKERSH. l. c. cap. X. p. 356.

## §. IX.

Sed redeamus ad litteras credentiales. CAROLVS PASCHALIVS <sup>1)</sup> litterae, inquit, fidei et credentiae iis redduntur, qui adveniunt. Recte omnino, nimis tamen generatim dictum. Dispiciendum igitur est, an Legati ipsi, porro an praesenti Principi, et denique quo tempore potissimum,

num, has exhibere litteras debeant. Agemus de argumento singulo perspicue. Primum sane ante hos sexaginta et quatuor annos grauisimae occasione disceptationi dedit in Comitibus Ratisbonensibus. Nolebat enim credentiales litteras Director Moguntinus vlla ratione a Principum Imperii Legatis accipere, nisi eas attulerint ipsi. Pugnatur strenue ab vtraque parte. Sed cecidit tandem alea in fauorem Legatorum, et illa sententia maioribus stabilita suffragiis fuit, litteras fidei, eodem iure, quo Legati Electorales vtuntur, commode produci posse a Secretario legationis. Acquieuit etiam summus Director in hac voluntate, ita tamen, vt ille per Secretarium suum reciperet easdem, intercessione interposita, ne actus hic de iuribus Directorii aliquid detraheret. 2) Alioquin cuiusque aulae consuetudo, quae vtramque hic paginam facit, Legatique dignitas, quantum cernere mihi datum, consideranda. Repetat haud grauatim Lector eruditus, quod Spho VI. de Legatis Electoralibus in Sarmatia inseruimus. Cui vero tradantur credentiales? Principine ipsi, an ex Purpuratis eius cuidam? disquiri posset. At neutra sententia caret exemplis. Si authenticum litterarum istarum ipsi exhibeatur Principi, non in dubium vocaturum esse vllum credo, quod earum apographum vel cum cerimoniarum Magistro et introducente Legatos, vel Secretario Status, vel alio, quem Princeps huic negotio praefecerit, antequam publice audiatur Legatus, debeat communicari. 3) Causa in promptu est. Quomodo enim scire queat aula externa, quibus excipi honoribus in auditorio solemniter Legatus velit, nisi certiore reddiderit eandem, quem inter Legatos locum tribuerit Princeps Ministro suo? Dum autem Principi ipsi dantur credentiales litterae in manus, obseruantur interdum cerimoniae, admodum singulares. Digna, quae huc referatur, est sedes Romana. Legationibus obedientiae ad eam venientibus, in publico

publico Consistorio admittuntur primum Legati ad osculum pedis, manus et oris Pontificis, dein flexo poplite dicunt secreta verba quaedam, et sanctissimo Patri litteras offerunt credentiales; dummodo prius osculati fuerint easdem. Pontifex porrigit illas Secretario, qui legit clara voce; hisque rite peractis Legati stantes, et capite detecto, incipiunt orationem suam. Debeo haec industriae Viri, selecta eruditione insignis, CHR. GOTTLIEB BVDERI,<sup>4)</sup> qui et alios eiusmodi ex Romano Cerimoniali ritus indicauit. Constantinopoli quid obtineat, perhibet PAUL. CONR. BALTH. HANIVS,<sup>5)</sup> si quidem auctori isti tantum fidei est, vt ei denunciare liceat testimonium. Quocumque se res modo habeat, addam tamen, quae differit, in sermone translata Romanum. Legatus, inquit, si ad Imperatorem Turcarum processerit, incidit in terram, tunc a duobus, quos cubiuli Comites habet Imperator, propius ad eum deducitur, vt osculetur manum. Quo facto surgit Imperator, recipitque a Legato credentiales litteras, tum aperit illas sua manu, et interpreti dat, qui linguam Legati probe caller, vt Turco deinceps sermone distincte praelegat Imperatori. De aliis aulis silere me oportet: nam desunt idonea documenta. Temporis potius, quo necessaria sit istarum litterarum traditio, inuicem paucis mentionem. Neque tamen hic omnes secum aulae conueniunt. Plerumque in publico id auditorio fieri adserit WICQVEFORT.<sup>6)</sup> et quidem vel antequam Legatus incipiat loqui, vel prolatis verbis solemnibus et honoris, (nach dem Compliment) ante, quam exponatur negotium; vel etiam oratione plane finita. Lucem haec quodammodo capient ex iis, quae paulo supra de Pontificis aula diximus. In Belgio autem Ordines Generales d. 19. M. Aug. anno 1658. decreuerunt, vt Legati, priusquam publice audiantur, fidei edant Codicillos.<sup>7)</sup>

- 1) In Legato, c. XVII, p. 118.
- 2) Vid. KYLPISIVS de legat. Stat. Imp. c. XIII. EVROP. HEROLD T. I. p. 812. edit. nou. et SCHWEDERVS in introd. in ius publ. parte spec. c. XXX. §. 8. Conf. HORN in iuris publ. prud. c. XXXVI. §. 6. p. 492. edit. nou. In pacis congressibus Principis conciliatoris Ministro saepissime per Nobilem, (einen Cavalier) vel etiam Secretarium legationis, litteras produci credentiales, docet STIEVVS l. c. p. 237.
- 3) Vid. WICQVEF. Opere c. lib. I. sect. 15. p. 178.
- 4) In libro doctissimo de legation. obed. Romam missis, p. 97. 98. Conf. IDEM p. 64. et THEATR. EVROP. P. X. b. p. 113. ad ann. 1669.
- 5) In der ertz lebend. Türrkey, qui liber prodit Norimb. 1678. in 12. p. 178. et 179.
- 6) L. c. conf. de CALLIERES de la man. de neg. avec les souv. c. XI. ad quem locum iam supra p. 13. pronoucauimus.
- 7) Van BYNKERSH. in quaest. iur. publ. lib. II. c. 6. p. 223. De auditorio igitur priuato sine dubio sunt intelligenda, quae THEATR. EVROP. P. X. p. 371. ad ann. 1666. de Suecorum Legato apud Batauos refert.

## §. X.

At quam, inquis, lingua credentiales conscribi litterae debent? Diuersas quoque hac in re consuetudines aulae Principum seruant. Frequentissima videtur ea lingua, quae natiua et vernacula rei publicae est, cum qua Legatus negotium habet: complures tamen gentes Latinum etiam, imo et patrium nonnunquam Principis, qui dedit credentiales, sermonem admittunt. In Comitii Imperii nostri praeter Latinum et Germanicum alii locus est nullus. Sancitum est sic hac nostra aetate. Auctor erat huius rei Legatus Gallorum, Comes de Gergy. Ille scilicet post Pacem Rastadiensem Directori Moguntino idiomate Gallico litteras fidei offerebat. Displicebant ideo Principi Electori, seque accepturum eas negabat, nisi Legatus exemplum minimum adiecerit vel Germanico sermone, vel Latino. Renuerat id Gallus fortiter. Nec tamen quicquam potentes Germaniae Proceres suo de iure concedebant. Quin potius trium Collegiorum sententia fuit constitutum, vt ex antiqua Imperii con-



fuetudine <sup>1)</sup> nullae litterae reciperentur, praeter Latine Germaniceue scriptas. Res deinceps ad Augustissimum Germanici Imperii caput, Carol. VI. gloriosae memoriae Principem, deuoluitur, qui Decreto huic Ratisbonae d. 8. M. Mart. 1717. album adiecit calculum, quicquid contra moliretur Legatus <sup>2)</sup> Effecerunt haec, vt anno 1726. Minister Gallicus, Dominus de Chavigny, Imperii sequeretur morem, et credentiales suas litteras addita versione Latina, Regis itidem manu signata, exhiberet. <sup>3)</sup>

1) Capitulationi Caroli V. art. XIV. (ad quem v. LIMNAEVS in notis primum insertum: — — wollen dazu in Schriften und Handlungen des Reichs keine andere Zunge noch Sprach gebrauchen lassen, denn die Teutsche, oder Lateinische Zunge. Et haec repetita in Capitul. Ferdin. I. et Rudolph. II. art. XIII. Matth. art. XIV. Ferdin. II. art. XII. Ferd. III. art. XVI. et nouissime Caroli VI. art. XXIII. Ante saeculum XIII. Latina plerumque lingua in actis publicis, et negotiis cum aliis gentibus, fuit adhibita. Celeb. TREVER diff. de iure Stat. Imp. circa Leg. ext. c. III. §. 3. p. 45. conf. IDEM, p. 78. sequ.

2) Vid. FABER in der Staats-Cantzl. P. XXIX. p. 702. sequ. ELECTA IVRIS PVBL. T. X. p. 948. sequ. et TREVER. l. c. Conf. Illustres Viri a LYNCKER de idiom. Imper. p. 19. et 24. pariterque IO. GVIL. a GOEBEL in scripto bonae frugis plenissimo, de obseruantia Imperii, c. I. §. II. p. 26. IDEM notat ad CONRINGII Oper. T. I. p. 607. iam anno 1666. in Comitibus Imperii Batauo Legato litteras credentiales, inter alios, quibus laborarint naeuos, etiam redditas propterea fuisse, quod essent sermone Belgico conscriptae.

3) Laudatus TREVER. diff. cit. p. 47. qui legi meretur. Haec versio a Moguntino Directore ad Imperii Status per Dictaturam, vt loquuntur, publice solet perferri: Scriptura vero authentica in Archiuo Imperii adseruatur. IDEM p. 53. et 81.

§. XI.

Interim credentialium litterarum non tanta virtus est atque potestas, vt Legati generatim, maxime autem illi, qui ab hoste mittuntur, his ipsis, sine liberi aditus tabulis, (vulgo passe-port) tuti sint, iure perfecto, atque muniti. <sup>1)</sup> Nota est historia de Guilielmo Principe de Fürstenberg, qui se anno 1674. Legatum Electoris Coloniensis profitebatur, et Coloniam Agrip-



Agrippinam ad Ministros de pace restituenda congregatos tendebat. Saluo enim, ut dicunt, conductu destitutus, iussu atque auctoritate Leopoldi, Imperatoris, ibidem in custodiam datur. Plures inde gentium controuersiae et sollicitationes. Aegre id cum primis Galli ferebant, et Legatum, credentialibus instructum litteris, contra Ius Gentium esse violatum conquirebantur. Sed facti huius rationem reddidit Diuus Leopoldus, et cur Fürstenbergium sic exceperit, iustas grauesque causas diulgauit. <sup>2)</sup> Formulam eiusmodi salui conductus, praeter alios complures, exhibet LONDORPIVS <sup>3)</sup> et IO. CHR. LVNIG, <sup>4)</sup> quo remittimus eos, qui haec nosse vberius voluerint.

1) Vid. P. MÜLLER. de Leg. pr. ord. sect. IV. §. 3. FLEISCHER in Instit. Iur. N. et G. lib. III. c. 15. §. 5. p. 593. edit. sec. GRIBNER in iurispr. nat. lib. III. c. 6. §. f. TREVER l. c. p. 61. aliique. Res plane dubio caret, si perniciem machinetur hostis Legatus alteri rei publicae.

2) Vid. LONDORP. Actor. publ. T. X. p. 131. sequ. et WICQVEFORT l. c. lib. I. sect. 1. p. 132.

3) L. c. p. 545.

4) In Negotior. publ. sylloge, p. 158.

### §. XII.

Haec de litteris credentialibus dixisse, pro temporis, quod impendi huic scripto potuit, ratione sufficiat. Vel tribus verbis addendum non nihil est de litteris reuocationis, et iis, quae recredentialium nomine notari solent. Illae scribuntur a Principe Legati, et de reditu eius certiozem reddunt exterae rei publicae Principem, cui deinceps in auditorio publico a Legato, qui valere simul aulam iubet, exhibentur. <sup>1)</sup> Hae autem dantur a Principe, qui cum Legato commercium habuit, ad eius dominum, et breuem complectuntur eorum, quae gesserit atque effecerit Legatus, enarrationem, item commendationem laudesque Legati, fuisse scilicet in aula gratum acceptumque, et dexteritate, fide ac prudentia sua eorum omis-  
sisse nihil, quae emolumento Principis sui, et stabiliendae con-  
firman-

firmandaeque inter utramque aulam amicitiae inferuire potuerint. \*) O felicem Legatum, qui tam dulces suscepti negotii fructus capit!

- 1) Vid. THEATR. EVROP. P. X. a. p. 36. ad ann. 1666. et LAMBERTY dans ses memoires pour serv. à l' Hist. du Siecle XVIII. T. I. p. 497. Conf. Illustr. TREVER diff. cit. c. V. §. I. p. 83.
- 2) Vid. POMÜLLER. diff. cit. sect. IV. §. 5. THEATR. EVR. P. IX. p. 1026. DIAR. EVROP. P. X. p. 322. FABRI Staats-Cantzl. P. XXXII. p. 773. TREVER eod. loc. p. 84. et LAMBERTY l. c. ubi Status Generales ad Ludovicum XIV. Gallorum Regem, sic scribunt: Après que N. N. Ambassadeur de V. M. nous avoit rendu sa lettre, par la quelle il lui a plu de le rappeler, - nous n'avons pas voulu le laisser partir, sans témoigner à Votre Majesté, que sa personne nous a été très agreable, puisque dans toute sa conduite il a donné des marques de sa capacité, de sa prudence, et de son zele, tant pour le service de V. M. que pour l'affermissement de la paix, et de bonne intelligence entre Elle, et nous.

## ARGUMENTA VARIA.

- I. Vix poterit Theologus iurisprudentiae studio sine insigni detrimento carere.
- II. Sepeliri mortuos priuatos cum rebus pretiosis, superstitiosa est consuetudo, nec seruanda, defunctus licet iusserit.
- III. CICERONEM fuisse Medicum, ut BERGERVS quibusdam dissertationibus euincere studuit, ego vix mihi patiar persuaderi.
- IV. Non dari puto Germanicam vocem, qua exprimi digne possit vox: Philosophia.
- V. Logica naturalis est non ens.
- VI. Silentium scriptorum coaeuorum non semper fidem derogat rei, ab vno solum narratae.
- VII. Quaeritur: an recte faciant, qui in conspectu litterario parcius vtuntur lingua Latina?
- VIII. TVLLIVS impudentissimum prodit animum in Epist. ad Fam. V, 12.
- IX. Inepte, more suo, IO EICHELIVS p. 236. animadu. ad PROCOPII Anecdota, in hunc scriptorem inuebitur, narrantem, quod ad matrem Iustiniani quaedam olim genii species venerit, quae ad notatum, non ad visum, sese praerberet.

ULB Halle  
003 850 080

3



*Sb.*







*Gent. 4. num. 174. 124*

18

IOH. FRIDERICI IVGLER  
A. M.  
DE  
LITTERIS  
CREDENTIALIBVS  
LEGATORVM,

*1741, 9 6*

*P. 169*

von  
Creditiven der Gesandten,

DISSERTATIO HISTORICA.



KOENIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA  
MDCCLXXI

